



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 11. Vtrum aliqua non entia. Et quænam. Et qualiter mala sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

Alia namque sunt purè mala absque mixtione bonitatis, qualia censēbant Manichæi, & alij hæretici esse naturā suā aliqua entia producta à secundo Deo, quem confingebant malum in se, & Principium primum malorum. Sed fallebantur. Quia, cūm omnia entia sint necessariō suā naturā bona, vt contra ipsos statuimus q.8. dūntaxat esse possunt purè mala non entia, carentia vide-licet aliquæ, seu priuationes entium. Alia sunt mala non pura, sed mixta bonitate; nimirum ea entia, quæ vel ab aliquo accidente sibi dissono euadunt mala in se accidentaliter, & abſolute; vel alijs entibus sunt respectiū mala, quatenus ipsis dissono sunt, sive disconuenientia. Quæ omnia nihilominus & in se, & sibi bona sunt bonitate, essentiali, prout in eādem q.8. expositum est. Et quæ ab aliquibus accidentibus sibi dissono euadunt mala in se accidentaliter, ab alijs sibi consonis simul euadunt etiam in se accidentaliter bona. Tum quæ aliquibus alijs entibus, quibus disconueniunt, sunt mala, simul aliquibus alijs, quibus conueniunt, bona sunt.

<sup>233</sup> Secundum est, ea mala respectiū, à quibus subiecta, quibus sunt talia, mala in se, reduntur, communiter solere à nobis concipi per conceptus negatiuos, sive illa positiva sunt, sive negatiua re ipsa: ob id enim illa talium subiectorum imperfectiones, sive defectus solemus communiter appellare, subiectaque ipsa ratione illorum in se defectuosa, sive imperfecta. Quippe familiare est nostro intellectui pro statu præsenti multa, quæ in se sunt positiva, per conceptus negatiuos oppositorum exprimere: sic enim indistincta dicimus, quæ sunt identificata, incorpo-rea, quæ sunt spiritualia; inæqualia, quorum unum est maius altero, &c. Sicuti etiam viceversa per conceptus positiuos, quæ in se sunt negatiua: quo pacto carentiam lucis vocamus te-nebras; carentiam visus cæcitatem; carentiam diuitiarum paupertatem, &c. Ex quo patet, quoties per conceptum negatiuum exprimimus id, quod in se posituum est, eam negationem, aut priuationem, quam talis conceptus præ se fert, non veram, sed rationis dūntaxat esse, iuxta doctrinam vniuersalem traditam in Pharo Scient. disp. 12. q.1. Et consequenter non veram, sed rationis dūntaxat esse eam priuationem, quam conceptus negatiuu[m] mali præ se fert, quando tale malum, reipsa est quidpiam merè posituum, quale sepe est, vt ostendimus.

His prænortatis, facile est in sensu legitimo interpretari omnia testimonia Sanctorum Patrum, quæ contra sententiam nostram possunt, solentque opponi. Quoties enim Patres atten-dentes (vt plerunque attendunt) ad confirman-dam veritatem catholicam de bonitate essentiali omnium entium contra errorem Manichæorum, & aliorum hæreticorum per solam priuationem, boni constituant malum, de malo vtique, quod purè malum est, censendi sunt loqui, ad mentem scilicet ipsorum hæreticorum, vt optimè notauit Lessius loco supra citato. Si quando verò de omni malo etiam mixto respicientes alio expressè loquuntur, de eo sumpto formaliter, prout per conceptum priuationum communiter concipi solet, intelligendi sunt. Quo casu priatio constituua talis concep-tus rationis tantum erit respectu malorum, qua reipsa sunt positiva; tametsi sit vera respectu aliorum, quæ priuationa reipsa sunt. Vnde veniet deprehendendum, neutiquam Patres ea, quæ dicunt, nostræ sententiaz re-

fragari. Quia etiam ratione non pauci ex Scholasticis, qui contra nos stare videntur, exponi poterunt.

Secundum argumentum contra propositiones nostras ex Recentioribus citatis n.206. breuius tamen, quam ab illis, sic potest formari. Cui nullum deficit bonum debitum, nullum patitur malum. Ergo omne malum in defectu fiat boni debiti. At omnis defectus boni debiti quid priuationum est: quia quodlibet bonum debitum est quid positivum; cūm sit de conceptu boni in gene-re converti cum ente. Igitur omne malum est quid priuationum; hoc est, constitutum formaliter per defectum, seu priuationem boni debiti. Respondeo concedendo, omne malum respectum defectum esse boni debiti, quatenus quodvis ex extremis contradictionibus dicitur defectus alterius; negando tamen, omne defectus boni debiti esse quid priuationum, & omne bonum debitum quid positivum. Mala siquidem positiva, quæ in hac questione adtriximus defectus positivi sunt suarum carentiarum, quæ bona quadam sunt priuationa, seu negativa iuxta dicta q.9. proposit.2. Vnde patet, non omne bonum converti cum ente, sed tantum bonum transcendentale, quod est enti essentiale, iuxta dicta q.8.

Tertiò contra doctrinam nostram arguitur. Malorum moralium, qualia sunt peccata, non potest Deus causa esse. Sed nequit non esse, Deus causa omnium entium positivorum. Igitur huiusmodi mala in aliquo positivo nequeunt consistere formaliter. Respondeo, Deum concurre-re quidem ad entitatem physicam actus peccati; non tamen prout ille exit à creaturā, quo solidum pacto malus est, sed tantum prout exit ab ipso Deo, qua ratione prorufus est bonus: insuper que ad ipsum vt sic concurrere Deum non à se, sed à creaturā ipsa determinatum immediate. Quo sit, vt Deus, ad entitatem physicam actus peccati concurrendo, nullatenus ad eius malitiam concurrat, nullatenusque subinde sit causa peccati, prout peccatum, & malum est. Et sane, quicunque cum actu peccati malitiam eius adquæ identificant, quantumvis eam priuationem appellant, longè difficultis, quām nos, se expedient ab hoc arguento. De quo in tract. de Peccatis, & sepe alijs plura dicuntur.

## QVÆSTIO XI.

Virūm aliqua non entia. Et quenam. Et qualiter mala sint.

Supposita divisione non entis in negationem, & chymoram tradita q.9. principio sit.

### Propositio I.

Omnis priatio boni debiti subiectio priuato mala est respectiū.

Hæc propositio certa est apud omnes. Constatue ex dictis q.7. proposit.8. & 9.

Ex eaque sequitur iuxta dicta ibidem proposit.3. quodvis subiectum priuatum bono quolibet sibi debito ab eiusmodi priuatione euadere in se absolute malum.

Pro.

## Propositio 2.

239 Nulla negatio boni non debiti subiecto, cui conuenit, est mala respectu, & formaliter,

*Ad hunc formaliter, quia causatiue fortasse erit illi aliquando aliquo modo mala, Ratio autem propositionis est. Quia carere bono sibi non debito non est subiectum dissonum, seu disconueniens politique, prout ad malum respectuum requiritur; quamvis sit non consonum, sed non conueniens negatio à defectu consonantia, seu conuenientia boni negati. Quotiens in modis negotiationes imperfectiones negatiæ subiectorum dicuntur, prout est notatum à nobis supra q. 4. In his etiam conueniunt omnes subiectus.*

240 Quod autem nulla negatio mali subiecto, cui conuenit, sit mala, cum potius omnis sit illi bona, ex se, & ex demonstratis q. 7. compertum est. Quia semper est uniuersum bonum carere, quovis sibi malo iuxta ibi dicta proposit. 4. Nec potest idem eidem malum simul, & bonum esse, prout dictum ibidem proposit.

## Propositio 3.

241 Negatio entis non existentis ipsi enti secundum suam essentiam, praesciam ab existenti consideratum mala non est.

Quia non est ipsi ut sic indebita, prout opus erat, ut ipsi esset mala iuxta proposit. 5. statutam q. 7. Cùm ipsi ut sic non sit debitum contradicitorum eius nempe existentia eiusdem entis: quale contradicitorum indebiti necessariò esse debet iuxta definitiones statutas q. 5. Enti quippe non existenti secundum suam essentiam praesciam considerato neque existentia est debita, neque aliud quidpiam, prout in eadem q. 5. n. 47. dicebanus.

## Propositio 4.

242 Enti existenti prout existenti ipsius destructione, siue desistio, siue negatio pro tempore subsequente quodammodo mala est, quodammodo secus.

Ita compono duas sententias oppositas, alteram affirmantem, & alteram negantem apud Suar. disp. 11. Metaph. sect. 3. n. 9. enti existenti malam esse eiusmodi ipsius destructionem, seu negationem. Etenim, supposito, quod ens hodie existit, perseverantia existentia pro tempore subsequente non solùm est ipsi conueniens, sed etiam debita; negatioque proinde existentia pro tempore subsequente non solùm est ipsi disconueniens, sed etiam indebita: tum haec negatio tali enti non minus odibilis est, quam illa perseverantia amabilis. Igitur & illa perseverantia bona, & haec negatio mala tali enti dicenda est. Cùm hoc tamen discrimine, quod per illam perseverantiam subiecto, cui est illa bona, non destruitur, sed perficitur, in seque subinde redditur absolute bonum; per illam vero negationem subiectum, cui mala est, non tam viciatur, quam destruitur; siveque nihil restat, quod per illam redatur in se absolute malum. Vnde illa persever-

ranta tali subiecto bona est, ut alia bona perfecta. Cùm tamen negatio ista tali subiecto non sit mala, ut alia mala viciatur. Est enim dum taxat mala tali subiecto quatenus titulo destruetus eius indebiti ipsi disconueniens est, & odibilis; quin potest, dum adeat, reddere illud malum, & odibile in se absolute ob necessarium ipsius destructum. Alia vero mala viciatur & sunt disconuenientia titulis alijs, atque adeo mala, odibilia, quæ suo subiecto, & ipsum, dum adiungit, in se absolute malum, atque odibiles reddunt. Ex quibus patet, quæ ratione enti existenti negatio destruenda eius quodammodo mala sit, quodammodo secus, ut propositio nostra fert.

Ex qua infero primo, malorum respectuum formalium (nam de mere causatiis non loquuntur) duo genera esse. Aliud enim est malum respectuum non constitutivum mali absoluti; eo quod, dum adeat, necessariò deest subiectum, quod per illud ut sibi respectu mali erat viciandum; reddendamque malum in se absolute; & talis est comparatio rei existentis ipsius negotio subsequens. Aliud est malum respectuum subiectum, cui malum est, vicians reddens absolute malum, siveque malum absolutum constitutivum; & talia sunt comparatione subiectorum creatorum ex parte ipsorum mala respectiva, & formalia, quæ simul cum ipsis existunt. Et de huiusmodi malis tum absolutis, tum respectu constitutivis absolvitorum loquuntur potissimum S. August. & S. Th. H. in Enchiridio cap. 12. & 13. siveque alibi, hic 1. p. q. 48. art. 3. & 4. aliisque in locis: ubi dicunt, mala sine bonis stare non posse & deficienteque omni natura bona, quæ sit subiectum mali, siue vicioris, omne malum necessariò desire. Quamquam haec loquitiones, & ad mala respectua prioris generis suo modo possunt extendi; quacunq; neque illa possunt existere, non existentibus in aliquo tempore anteriori subiectis bonis, quibus ea sunt mala; tametsi simul cum talibus subiectis nequeant existere in eodem tempore.

Vnde secundo sequitur inferendum, negationem entis existentis non esse ipsi malam pro tempore antecedente existentiam eius. Nam licet tam pro antecedente, quam pro subsequente tempore talis existentia sit exclusiva, attamen pro tempore antecedente non est indebita, prout ad rationem mali requiritur, ut est pro tempore subsequente. Quoniam ante quam ens existat, nihil adeat, in quo fundetur aut debitum existentia eius, aut indebitum non existentia. At cum primùm factum existens est, continuatio existentiae acceptae debetur ipsi pro tempore subsequente & consequenter non existentia pro tali tempore indebita iam ipsi, iamque plenaria mala est.

Tereti ex dictis inferendum, scilicet potius adnotandum obiter est, prout malum respectuum non constitutivum mali absoluti ob incapacitatem subiecti, nimirum quodlibet, quod malum est respectuum comparatione Dei, ut est quæ uis iniuria, aut offensa ipsi irrogata à creaturis rationibus. Deus quippe omnino est incapax, qui vicietur per aliquod sibi accessorium malum quacunque demum ratione sit illud malum ipsi, & odibile. Vt incapax est, qui perficiatur per aliquod sibi accessorium bonum, quacunque demum ratione sit illud bonum ipsi, & amabile; ut pluribus expoenitus infra disp. 16.

Propositio 5.

246

Nulla negatio entis est mala in se absolute aut per essentiam, aut per aliud sibi accessorium.

Per essentiam quidem: cum quia nullum est possibile malum absolutum, & per essentiam iuxta dicta q. 8. cum quia nulla negatio habet essentiam iuxta dicta q. 9. Per aliud autem sibi accessorium: cum quia non habent essentiam, ut in nulla negatio habet, nihil accessorium potest sic esse disconueniens, ut illud vitier, & reddat absolute malum: cum quia per nihil sibi accessorium potest vitiar, & reddi malum, quod per essentiam non est bonum, (qualis nulla negatio est iuxta dicta q. 9.) Aliis daretur absolutum malum absque omni bono contra dicta ex S. August. & S. Th. proposit. 4. cum denique quia fœditas in qua consistit malitia absoluta iuxta dicta q. 1. sine subiecto positiva, qualis nulla negatio est, consistere nequit, ut ex se patet. Hac de negationibus, venio ad chymæras.

247

Propositio 6.

Chymæras illæ, quæ solum per species alienas sunt conceptibiles, nullam malitiam habent in se, aut absolutam, aut respectivam.

Quia nullam veritatem obiectiuam habent in se, tunc quia nulla malitia vera potest consistere, ut constat ex se, & ex dictis in simili q. 9. proposit. 3.

Propositio 7.

248

Chymæras illæ, quæ etiam per species proprias sunt conceptibiles, quemadmodum bona, ita & mala cum absolutè, tum respectivè possunt esse intra suum statum, quiditatuum.

Hac propositio per doctrinam datam in simili quest. 9. proposit. 4. mutatis mutandis, venit consequenter probanda. Quod, quia facile ab unoquoque, illa applicata, præstari potest, ego ad reliqua pergo.

249

Hic tractant multi de causis malorum. Quam tractationem, quod multa supponat præcognita de natura, & varietate caularum, effe. Quumque, qui circa mala versari possunt, ega ad oportuniorem locum remittendam decreui. Interim videri inter alios potest Petan. de hoc argumento differens latè, & eruditè lib. 6. Thol. dogm. cap. 5. & 6.

## DISPUTATIO XVI.

### De Bonitate ipsa, & Perfectione Dei in speciali.

Prostquam de Bonitate & Perfectione rerum in universum differimus in precedente dispu-

tatione, promptum est iam: ut in presente de Bonitate, & Perfectione Dei in speciali disserimus.

### QVAESTIO I.

Vtrum Deus sit bonus.

**Q**uantum de bonitate Dei, supposita eius existentiâ, nullum dubium subsistere possit. Nam: cum Deo nihil melius exigitur queat, id quo melius nihil est, bonus esse, quis dubitat? ut bene Boet. lib. 3. de Consolat. prof. 10. Ordo tamen doctrina postulat, ut illius certitudinem, & evidenter in hac q. statuamus.

Propositio 1.

Certum secundum fidem est, Deum esse bonum.

Id enim testantur passim sacra Scriptura. Judith. 13. Confitemini illi omnes; quoniam bonus. Psal. 105. 106. 107. & 135. Confitemini Domino; quoniam bonus. Et 118: Bonus es tu & in bonitate tua. Et 134. Laudate Dominum, quia bonus Dominus. Sapientia alias Jeremias 33. Quoniam bonus Dominus. Nahua. 1. Bonus Dominus. Matth. 19. Vnus est bonus Deus: Marci 10. & Luce 18. Nemo bonus, nisi solus Deus. Aliisque sapissime. Supponuntque communiter sacra Ecclesiæ Conclavia, quin opus fuerit, articulum hunc expressâ definitione contra aliquem ipsi contradicentem firmare. Nam ut bene Synesius orat. de Regno pag. 9. Bonum Deum utique predicanter omnes ubi in terrarum populi tam sapientes, quād imperiti: idque unius, si mutuo consenserit, atque una voce proficiuntur; licet, quod ad alia pertinet, varijs de Deos sententij disceptent.

Per loca autem facta Scriptura commorata, quibus Deus absolute dicitur bonus, bonitas absoluta, qua Deus in se absolutè est bonus, imprimis adstruitur; & consequenter bonitas respectiva, qua Deus bonus est sibi ipsi. Si quidem duæ illæ cuiusvis entis bonitates, ratione nostrâ dumtaxat distinctæ inter se, omnino ineparabiles sunt iuxta dicta disp. 15. q. 1. n. 11. atque etiam q. 7. proposit. 3. Sunt tanq[ue] & alia loca Scripturæ, quibus Deus bonus insuper prædicatur suis creaturis, ut ille Psal. 72. Quād bonus Israel Deus iis, qui recte sunt corde. Et similia. Quā vero ratione Deus suis creaturis bonus sit, indecū explicabitur.

Propositio 2.

Evidens secundum rationem naturalem est, Deum esse bonum tum in se absolute, tum sibi ipsi respectivè.

Id namque est manifestum primo: quia iuxta demonstrationem factam disp. 15. q. 7. proposit. 37. non potest non quodlibet ens per suam essentiam esse bonum in se absolutè, atque adeo & sibi respectivè. Igitur Deus vel titulo entis præcisè non potest non & in se absolutè, & sibi respectivè esse bonus per suam essentiam.

Secundò ex prædicto entis à se, quod

Deus